Andreas

Adami Multiscius

Ulysses.



MVLTISCIVS VLYSSES

M. ANDREAS SCHONEVS, PHILOSOPHIÆ, THEOLOGIÆ, ET I.V. DOCTOR, Inter Academiæ Crac. Theologos Doctores Publica Disputatione cooptatus.



M. ADAMI OPATOVII M. C.



CRACOVIÆ In Offic. Iacobi Sibeneycher, Anno 1602.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISSIMO
DOMINO D. PETRO TILICKI
Episc. Varmiensi, Regni Polonię Procancellario, &c. Dño & patrono, se suaq́; studia commendat.

REgis delicium, Senati amores,
Æqui certa boniq́; Iuris ara.
Phœbi gemma, salesq́; gratiarum,
Florens TILICIÆ *Corona gentis:*
Quantum hoc cunq; rude, & sit impolitum,
Lechicum æquiparans Pelasgo Vlyssi,
Vt vis ingenij extero penate,
Pulchrè creuit vtrisq́; commoratis,
Inscriptum titulis tuis dicamus:
Illustrarier has tuo tenebras
Claro lumine nominis precantes,
Iam toto orbe micantis, omni & æuo:
Namq́; hoc templa colens pius sacerdos
Extollet, memorans duces sacrorum;
Hoc dum Iura gemens reus reuoluet
Laudabit, cupiens tuum tribunal;
Et dum Sarmaticæ vigent Camænæ
Hoc nec voce, nec in libris silebunt,
Nullis nam rapier malis ruinis
Chartas nominibus tuis notatas
Confident, tibi quod pio benigni
Concedent superi, bonorum amantes.
Quare si ô Decus hoc quod est Vlyssis
Faustis nominibus tuis sacratum
Pulchrâ luce frui sinis iubesq́;.
Iam nostris Agamemnon es Camænis,
Atq; omni memorante eris sub æuo.

M. Adamus Opatouius.

Multiſcius Vlyſſes.



Vſa propago Iouis, diuini numinis auras
Mortali ſpirans in terris corde perennes,
Dignum laude virum quæ cœli ſede reponis,
Nominis & radios terras iacularis in omnes:
Perge tuis memorare modis, pellacis Vlyſsis
Vt vis conſilij, & rerum prudentia creuit,
Dum variæ gentis mores inſpexit, & vrbes.
Nec minus hunc qui verâ expreſsit imagine Vlyſſem
Errans Auſoniâ terrâ vt multiſcius eſſet
Inſere Diua Polo, ſuper atq; impone Trionas.
Vt belli ſignum ſonuerunt cornua cantu,
Ductores Danaum, ferro populumq́; frementem,
Troiugenâ cum gente vocans ad prælia ſæua.
Extemplo gemini Atridæ conformibus armis
Fulſerunt, ducentes agmina lecta virorum.
Nec mora Mirmidonum robur ducebat Achylles:
Et Salamine acies duxit Telamonius Aiax:
Atq; Thoas, Neſtorq́; ſenex, fortisq́; Podarces,
Tlepolemus, Mneſteus, Diomedes, Merionesq́;,
Illuſtres animæ ſceptro belloq́; potentes,
Agmina denſabant circum ſe armata virorum.
Ordine in hoc Procerum notus prudentiâ Vlyſſes
Non erat, & ſi fata darent optaret abeſſe,

Sed nec fata Deum, nec doctæ iussa Mineruæ,
Non Agamemnoniæ leges patiuntur acerbæ.
Quare Penolopen verbis solatus amicis,
Multa super puero mandans, qui paruus arena
Reptabat, cuperet quem Ithacę iam tum dare Regē,
Induitur conserta hamis auroq; trilici
Loricâ, & toruâ galeâ cristisq; comante,
Inserit & lęuę clypeum tutamen in armis,
Fulmineum lateri posthac accommodat ensem,
Tandem progreditur septus legionibus amplis,
Quasq; Zacynthus ei, quas Neritus alta, Samosque,
Quasq; Ithaca & Regum sedes & gloria regni
Vrbe suâ legit, sumptuq; armauit abundè,
Agmine quas Graio iunxit transtrisq; locauit,
Ipsę ratem scandens fatis ignarus iniquis
Vela dabat, voluens in pectore funera Troiæ.
Sic primi Danaum, & solers tendebat Vlysses,
Troianas vt opes, & gentem euertere possent.
Quid gens chara Ioui, Musis & amica benignis,
Quam curat Charitumq; lepos, studiumq; Mineruæ,
Et secreta adflant sapientum oracula vatum?
Hîc vbi sæuit hyems gelido generata Trione;
Atq; videntur vbi tristes procedere soles,
Hîc vbi durus arat spaciosis Lechita campis
Et belli, & pacis studijs acerrimus æquè:
An resides animos, & sæuo Aquilone gelatos

Corde

Corde gerit, terras alio nec ſole calentes
Quęrere laudis habet, patriæ dulcedine capta?
Sed non is ſtupor eſt animi, aut amentia gentis.
Vt primum alma Fides, ſepteno vertice ſurgens
Lechiadum terris Chriſtum pleno ore tonare
Augurio fauſto & diuino munere cæpit.
Continuo cunctis exarſit pectus amore,
Spectandi Italiam coram, terrasq; repoſtas,
Atq; gemelliparæ vaſtatas cernere turres.
Præcipuè quos Pallas rerum & copia amauit
Accelerare parant vt amato limine ſiſtant,
Magnanimi Heroes fortiſsima pectora bello:
Vt Regum ſanguis Wladiſlaus ille Locetus,
Qui quàm Sceptra tulit, fulgens diademate regni,
Heſperias vrbes, morumq; exempla decora
Inſpexit, tenuitq; ſuis dans iura benignus.
Quid ſummus Craci Lampertus Præſul in arce?
Quid queis diuino lætamur honore litari
Relligione Hiacyntus, amore Staniſlaus ardens,
Quas non luſtrarunt terras, tractusq; Latinos?
Ecquid Tencinia natus de ſtirpe Ioannes,
Valcerusq; miſer rebus quod fidit amatis?
Æquales ſtudiis, ſimul & iuuenilibus annis,
Nonne Padi ripas & flauo gurgite Tybrim?
Oceaniq; vias, diſcrimine vitæ adierunt?
Donec poſt multos radiantis ſyderis ortus,
 Ecce

Ecce Deûm fatis, & doctis excita chartis,
Sarmatico gens lecta Helicone excurrit, adeſtque.
Quid plures memorem, pro cunctis ſit ſatis vnus,
Inſignis pietate Ioannes Cantius, huius
(Quo non eſt aliud præſtantius orbe Polono)
Gymnaſii lumen, quem aſtris mirâcla loquuntur
Sede frui Diuum, ærumnasque iuuare ſuorum,
An non procubuit deuotas vrbis ad aras?
Quid cui noſtra fides exponit Muſa loquaces,
Verus doctrinâ, linguâ, prudentiâ Vlyſſes
Iliacam quanto ſtudio properauit ad vrbem?
Non quam, vel, verſare dolis, aut milite clauſo
Æquaret terræ ſpargens incendia tectis,
Sed ſi quos mentis tenui caligine ſeptos
Sublimes rerum captus inſcitia merſit,
Sermone illorum qui Phæbo digna loquuntur
Declarata forent, ad amuſsim & cuncta putata,
Aut mentem, ſi qua hærerent contagia culpæ,
Immunem vitiis, cumulatam opibusq; beatis.
Cœlicolûm victor Capitolia ad alta referret.
Iſta triumphales arcus, ſtatuasq; Quiritum,
Et vectas Troiâ prædas victoria vincit.
Cumq; iter ornabat, non immemor ille gementis
Gymnaſij, atq; eius pendentis ab ore iuuentæ:
Omnes complectens fælicia multa precatus
Diſceſsit, cunctis lachrymarum flumina rumpens.

Sed

Sed Laërtiadæ celeberrima fata canamus,
Quæ passus pelago, post diruta mænia Troiæ.
Postquam res Asiæ pictis onerata carinis
Cærula sulcabat, tendens in regna Pelasga.
Interea voluens irarum corde procellas
Armipotens Pallas, conquassans Gorgone sæua,
Virgineis culpis quod sint sua templa reperta.
Immittensq; hyemem, tempestatesq; sonoras,
Demergit naues laxas compagibus imis,
Dat reliquas ventis iactandas æquore vasto:
Ipsius atq; ratem ad scopulos conquassat Vlyssis,
Fluctibus exponens tumidis sociosq; ducemq; ,
Sed socios nantes rapidus vorat æquore vortex,
Dux seruatus ope, & diuinæ Palladis arte,
Repperit hospitium immortalis saxa Calypsus,
Populus hæc, Cyparissus olens, & Myrthea circum
Silua tegit, riuis resonantia prataq; cingunt:
Hunc Dea, quæ telas radio percurrit eburno,
Et suaues liquido depromit gutture cantus,
Ore eiectantem fluctus, & veste fluentem
Excipit & vultu, & dictis compellat amicis:
Exin vestitum signis auroq; rigentem
Donat habere viro, aurataq; in sede reponit:
Demum fert sacrata Deorum munera mensis
Ambrosiâq; cibos, & mistos nectare rores.
Hisq; virum donis Dea dum dignatur, & offert

Si ſecum maneat ſtygias euadere noctes.
Sed cum fata viam monſtrant, dat vela per vndas,
Ardentes Tyrio veſtes cui dona Calypſo
Impoſuit, monumenta ſuum teſtantia amorem.
Talia num quisquam eſt in fata vocatus Vlyſsis
Quam noſter, reliquis iam hoc vno verus Vlyſſes.
Quòd doctas Aſiæ mentes, & Palladis vrbe
Excultas artes, & tempus in omne perennes,
Omni auro præſtantes, gemmarumq; nitore
Lucidius ſplendentes, defert mente repoſtas,
Doctrinæ Oceanum ſulcans, rerumq; feracem.
Quod mare cum tumidis perflari cernat ab Euris
Si quando feruet ſapientum lite Senatus,
Cum veras rerum cauſas ratione ſagaci
Quærit, ſeq; putat pro aris vrgere focisq;
Prælium in auratâ dignum titulisq; columnâ.
Qui tum qui fluctus volui? quæ monſtra natari?
In cœlos quæ vndæ iactari more Gigantum
Cernuntur? donec Iouis hos manus obruat vndis.
Extra quos ſcopulos nauem mentemq; tenere
Hic noſter præter ſolitum conſueuit Vlyſſes:
Et ne ſæpè Nothos, ſæuasq; cauere procellas
Perpetuum ſit opus, componit littore nauem,
Ipſe ſalis ſpumas abſtergens veſte fluentes
Tendit iter, gradiens turritæ ad mænia Romæ
Aurea tecta petens, queis magni nata parentis
Sub-

Submiſſo pandens animo myſteria cœli
In ſolio reſidet claris radiante Smaragdis.
Hunc Dea complexum, dignata penatibus amplis
Eſſe ſuis, ſecumq́; dies noctesq́; trahentem
Diuinæ mandat meditari dogmata legis,
Huic aperit veterum, perplexa oracula Vatum,
Quiſue mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum
Seminibus nullis quæſitis voce creauit?
Virgineo partu mortales editus auras
Ecquis erat? duræq́; crucis qui paſſus acerba?
Quem iam vbi diſceſſum moliri præſcia ſenſit,
Immortale decus diuinos donat honores,
Illuſtrem titulis, Parioq́; nitore tiaram,
Cœlo demonſtrans maiori laude coronam.
Sed qua mente Ithacus Cocythi pallida ſtagna
Fortis & impauidus, doctrinæ indagine flagrans
Intrarit referam, vt ſacris vulgata ſub antris.
Quondam dum Circes lucos excederet errans,
Hæc Dea fatidico ſuperaddidit ore locuta:
Dux Laërtiade, regnum patriosq́; penates
Quæris, ſed non ante tuo te littore ponet
Læta trabes, quàm Tireſiæ mandata capeſſes.
Audiit hæc poſtquam Fatorum ſtamine volui,
Quæ non arbitrio potis eſt quis fingere certo.
Illicò Cimmerias naui delatus ad oras,
Quas ſol, nec ſurgens, nec dum eſt abiturus in vndas

 Aſpicit,

Aſpicit, at ſomni locus eſt ſub nocte ſilenti;
Vmbrarum dominis cædit de more bidentes,
Effoſumq; ſcrobem ſpumanti ſanguine replet,
Inuitat demum manes, animasq; ſub atro
Dite morantes ad libamina facta ſepulchris:
Accurrunt illæ horribiles ſine corpore vitæ,
Quas aditu prohibet ferrum minitantis Vlyſsis,
Donec Tireſiam conſpexit adeſſe cruori:
Cui poſtquam libaminis & data copia fandi
Sic orſus. Ventis Ithacam veliſq; requiris
Dux Laërtiade duris exercite rebus:
Difficiles reditus monſtrant decreta Deorum,
Sed cum Trinacriæ portus intrabis amænos,
Læta boum cernes armenta attondere campos,
Quæ pratis illis ſeruat diuinus Apollo,
Cædere quæ comites, & tu ſi caueris ipſe,
Optatos portus Ithacamq; intrare licebit.
Talibus interpres diuini dogmatis olim
Ex adyto dictis Schoneum comitata abeuntem:
Delicium Schonee, & noſtri laus magna laboris,
Auratas cœli ſedes, & gemmea tecta,
Plaudit vbi æternos ſanctorum turba triumphos
Compromiſſa ratis Fatorum legibus ambis:
Iſto macte animo, virtutum fomite pleno,
Sed non ante datur cœlorum ſede potiri,
Quàm te exercendum iuris legumq; facultas

Accipi-

Accipiat, quæ Tartareas deducit ad vmbras,
Atq; videre iubet gemitu resonantia saxa,
Quasq; ob adulterium pęnas, vetitosq; Hymenęos,
Contemptumq; Deûm, prædas patiuntur iniquas,
Motus quiq; dabant furiatâ mente forenses.
Quare supremos legum iurisq; peritos,
Et qui Tiresiæ sensu meditata loquuntur,
Vmbras nec rerum velut Orco plurima pandunt
Delige, conseruans dictorum pondera mente.
Excitus his verbis magnos ad legis amores
Carpit iter Pisas, queis nusquam maxima iuris
Numina quæ pandant legum secreta feruntur.
Hîc demum leges manibus complexus vtrisq;
Voluebat, meditans Phæbi atq; ad lumina noctis
Præcipuè versans Gratiani iura vetusta,
Has toties voces reddi sibi mirabatur:
Inclyte cuius mentem exercuit arte sciendi
Multiplici Pallas, calis qui ad sydera ducit
Inuius & præceps, quem tu superare valebis
Debita si summo persolues iura parenti,
Qui quam sol radijs melioribus omnia lustrat,
Vindicat & si quid proprio de iure rogatum.
Post varios casus, post tanta exhausta pericla,
Inuehitur tandem patrias Ithacensis ad oras:
Sed quem non quisquã norat, nec nomine Vlyssem
Appellat, Regum proprio aut dignatur honore.

Vix hunc Telemachus verâ ſe voce fatentem
Agnoſcitq; patrem, lachrymisq; ſalutat obortis:
Penelopesq; diu vultum, veſtigia morum
Obſeruans, animo pendebat neſcia rerum:
Cætera turba domus, famuli, ſine fronte miniſtræ,
Sponſi Penelopes, mimi, molesq; cinædi,
Qui genio indulgent, & Bacchanalia viuunt,
Ignorant Ithacum reducem, nec noſſe laborant.
Donec Penlope cladem miſerata bonorum
Extulit ingentem telis neruoq; pharetram:
Et ſic affata eſt epulis vinoq; repletos:
Magnanimi Proceres, queis ſunt connubia noſtra
In tantum cordi, non vltra veſtra morabor
Coniugij tędis flagrantia corda, ſed arcus
Quem robuſtus in hoſtem olim flectebat Vlyſſes
Eius me thalamo ſociam, propriamq; dicabit,
Spicula qui per biſſenos tranſegerit orbes,
Dixerat. accenditq; omnes dulcedine prædę.
Tum validis omnes inflectunt viribus arcum,
Agmine ſed tanto quisquam nec proficit hilum.
Accipit hunc ſpretum pannis atritus Vlyſſes,
Et tantum flectit manibus, firmisq; lacertis
Vt per biſſenos tranſacta volarit arundo:
Cunctis cumq; pauor tremefacta per oſſa cucurrit,
Eripit ille enſem, medios & fertur in illos,
Exigit & pænas ſcelerum quas fęda libido

Conari proprio persuasit limine cunctis.
Tandem Penelope veros se prodere vultus
Vt vidit, reducem complexa salutat Vlyssem
Tradens imperij fasces, & honoris habendos.
Sic noster Latio rediens Aquilonis ad Arctos,
Phębus vbi Lechis loquitur sapientia verba,
Multiplicesq́, sonant vbi pulpita Palladis artes,
Thesauros doctrinarum, ingenijq́; opulentos
Attulerat quamuis, tacitâ sed mente repostos:
Non tamen huic quisquam Doctoris nomina magna
Nec tribuit primas, primariûm in ordine sedes,
Solus amicorum cætus cognouerat ipse,
Quantis ditem opibus mentem titulisq́; decoram
Insignis referat, summoq́; hunc fecit honore.
Ingeniorum altrix Academia vidit vt ipsa,
Ipsa viri dotes animi, moresq́; probauit,
Nomine sed notum optabat titulisq́; videre.
Pars hominum quædam tabens liuore maligno
Ingeniis inimica lues, funestaq́; clades,
Degeneri laudum præcidens dente nitores,
Expetit ignotum votis ardentibus esse.
Sed nil vota valent scelerată mente profectâ,
Numina nec flectunt virtuti sæpè benigna.
Ecce madens etiam lachrymis Academia venit,
Flumine quas largo fudit Museenia membra
Extremum decus imponens tumulo Doctorum,

Fertq́; pharetram, non arcu grauidamq́; sagittis,
Condita sed quâ sunt sacri mysteria verbi,
Hanc ponit mœrens Doctorum morte relictam,
Pignora cara sui, cupiens se tradere totam
Illi, qui faciat mente experimenta sagaci.
Hanc tibi delatam Phæbi applaudente coronâ
Tendere ne renuas, aderit iam dexter Apollo,
Accipe tela manu, atque arcum deprome pharetrâ,
Et defige polo dextramq́; oculosq́; micantes
Sidera celsa petens, queis metam numina ponunt;
Munere quo functus, neruo stridentia tela
Mitte premens fures, prædatorumq́; maniplos,
Queis obsessa manet sacrarum semita rerum.
Nec tu parce procis, qui incesto sacra profanant
Ore, nec intactis adolent altaria tædis.
Sed iam parce precor, iam parce rogamus & omnes,
Iam satis est pugnæ, iam tempus abire palęstrâ
Noscimus experti, doctrinę pectore vires
Quàm fortes habeas, quàm mens dexterrima bellis,
Atq́; adeò noscunt hostilia terga cruenta,
Noscit & ipsa probans Academia fronte nitenti,
Et stupet antiquam virtutem animosq́; parentum,
Horum iamq́; tibi induit ornamenta relicta,
Augustaq́; locat doctę virtutis in arce:
Quam tu quâ pietate soles, complectere amantem
Quoq́; nites iam Mercurialium in orbe virorum
Multa-

Multarumq; ferax splendet sapientia rerum,
Illius hoc nomen, tanto & magis vsq; feratur
Omnia quantum sunt doctis completa Camęnis.




BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE